

REVERENDISSIMO PRAE-  
SVLI, ILLVSTRISSIMO QVE  
PRINCIPI AC DOMINO, D. ERNESTO,  
Episcopo Bambergensi, Domino suo  
clementissimo.

**R**everendissime & illustriss. Princeps, quoniam ratione muneris deman-  
dati, ut pote Cantori nostræ scholæ, ea cura mihi incumbit, ut in templo solennibus  
festis eas adhibeam cantiones, quæ in celebratione nominis cultusq; divini religiosè cantari, & ob suavitatem  
concentus pia delectationis affectione audiri possint, collegi, adhibito tamen delectu, ex præstantissimorum no-  
stræ ætatis artificum monumentis non mediocrem numerum eiusmodi cantionum, quas in tres libros digestas,  
quo pluribus Musicæ studiosis communicari possent, typis seorsim atque peculiariter excusas, non ita pridem  
evulgari curavi: quæ quidem à philomusis ita exceptæ fuerunt, ut jam non tantum Typographus noster, sed &  
plurimi alii viri docti, & Musices amantes, mihi authores hortatoresq; sint, quod in cantionibus sacrorum festorum solennitatibus  
destinatis feci, idem ut in Missarum, & hymno divæ Mariæ (Magnificat vocant) melodiis colligendis faciam, quod & hæc usibus Ec-  
clesiæ servirent, atque ita templis & scholis in propaganda Musica non minus utilis opera quàm aliis sacris cantionibus navaretur.  
Vixi fuerunt non iniquum petere, præsertim cum huius generis cantionum, Missarum scilicet & Magnificat, non admodum magna  
publicè extet copia. Itaq; passus sum mihi imponi istum laborem, & ex optimis quibusq; Authoribus nostræ ætatis, adhibito eodem,  
quo in sacris cantionibus, delectu, præstantissimasq; quasq; colligere cœpi, quas & ipsas in certos libros digestas ordine (Deo vitam  
mihi prorogante) in publicum evulgare decrevi, ne philomusi, hi præsertim, qui templis scholisq; serviunt, hac in parte etiam quod  
desiderent habeant. Volui autem ab his quinque Missis, hoc præsentis libro compræhensis, auspiciam facere, atque ita Musicæ stu-  
diosis quasi gustum præbere secuturi operis: Quas quidem consultò sub CL. T. tutela & patrocinio in lucem edere visum fuit, Prin-  
ceps illustrissime, cum ut hoc quasi pignore meam erga CL. T. cum humilima subjectione conjunctam observantiam declararem,  
tum ut illustrissimam CL. T. nomen præferentes, plus gratiæ apud Musicæ fautores consequerentur. Tuam igitur illustrissimam  
Clementiam suppliciter, quantaque possum animi demissione rogo, ut (quod mihi de illustrissima CL. T. pro innata ipsius erga libe-  
rales artes, & earum cultores benignitate planè polliceor) hanc dedicationem hilari clementiq; vultu suscipere, meq; inter humili-  
mos ministros suo favore complecti dignetur. Bene valeat illustrissima CL. T. Datæ Noribergæ Calend. Octob. anno 1590.

Illustrissimæ CL. T.

humilimus servus

Fridericus Lindeker.

A a 2